

sui querebantur. Inter haec liberius meare spiritus cooperat: adlevabat rex oculos, et paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnoverat; laxataque vis morbi ob hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat. Animum autem aegritudo corporis urgebat; quippe *Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur, vinctum ergo se tradi, et tantam victoriam eripi sibi e manibus; obscuraque, et ignobili morte in tabernaculo suo extingui se querebatur.* Admissisque amicis pariter et medicis, *in quo me,* inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. *Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, et qui ultro intuli bellum, jam provocor.* Darius ergo, quum tam superbas literas scriberet, fortunam meam in consilio habuit: sed nequidquam, si mihi arbitrio meo curari licet. Lenta remedia et segnes medicos non expetunt tempora mea; vel mori strenue, quam tarde convalescere mihi melius est. Proinde, si quid opis, si quid artis in medicis est, sciant, me non tam mortis, quam belli remedium quaerere. Ingentem omnibus incusserat curam tam praeceps temeritas ejus; ergo pro se quisque precari coepere: ne festinatione periculum augeret, sed esset in potestate medentium; in experia remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius (*) pecunia sollicitaret hostis; (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserset): itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

REX A FIDO SAPIENTIQUE MEDICO PHILIPPO, CUI A TOTO EXERCITU INGENTES GRATIAE HABENTUR, PRISTINAE VALETUDINI MOX RESTITUITUR. (L. III. c. 6.)

Erat inter nobiles medicos e Macedonia regem sequutus Philippus, natione Acarnan, fidus admodum regi: puer

(*) Familiares Darii et eas.